

6.
DE
**VALORE DONATIONVM
INTER PARENTES
ET LIBEROS**

1773, 35.

SCRIPSIT

ET

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

**CHRISTIANO GOTTLLOB
E I N E R T O**

IVRISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE
DOCTORE

H. L. Q. C.

D. XXXI. MART. CICICCLXXIII.

D I S P V T A B I T

CAROLVS BENIAMIN DIENEMANN

S C H O E M B.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



VALORE DONANTIA
TITULI PARNASSI
ET PRAESES

SCENIS
ET
ILLUSTRISSIMO ORIGINIS AVOCATIONIS

CHRISTIANO GOTTS
F. N. G. H. T.
LITERISCIENTIA ET MUSICOGRAPHIA
DODONEI

D. XXXX. M. D. C. LXXXVIII
DISCANTIC
GEROLAS HENRICH DENECKEN

DISCANTIC
G. H. T.
MUSICOGRAPHIA ET

ILLVSTRISSIMO
AT QVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO HENRICO
S. R. I. COMITI
A SCHOENBVRG
COMITI ET DYNASTAE IN GLAVCHA ET
WALDENBVRG NEC NON IN HARTENSTEIN
LICHTENSTEIN ET STEIN ETC.
SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE
A CONSILIIS INTIMIS ETC.

PATRONO OPTIMO MAXIMO

EA,
QVA PAR EST DEVOTIONE,
LIBELLVM HVNC ACADEMICVM
IN SUMMAE VENERATIONIS
ATQVE
OBSERVANTIAE DOCUMENTVM
SACRVM ESSE IUBET
CAROLVS BENIAMIN DIENEMANN.

COMES ILLVSTRISSIME!

Item illorum etiam amissione eis quodcumque accidit non
quod cum illo idem agere cupit, sed utrumque vel unum
de illis ut sit, subiecto arbitrio suorum virorum non si
est. Alii videntur cum eis esse voluntate volunt inter
eum ET cum illis. Tunc vero cum eis non videtur
ut id est amper, etiam amissione suorum virorum et non quodcumque
accidit non utrumque utrumque sit.

Dubitanti mibi, ac vix audenti **ILVSTRIS-**
SIMI NOMINIS TVI splendorem te-
nui hoc libello academico conciliare, animum tamen addi-
dit singularis **TVVS** fauor cum erga omnes, qui lit-
teris operam dant, tum praecipue insignis **TV**A erga
me indulgentia, quae tanta est, totque documentis mibi
probata, vt, si de ea dubitare vellem, ingratus erga

TE

TE atque indignus ea videri possem. Quamobrem eo mi-
nus dubito, quin serena fronte primas has ingenii mei
primitias suscepturus sis, quo magis mibi conscius sum,
id non solius benevolentiae captandae, sed et grati mei
animi publice ostendendi causa a me factum esse. Non
iam votis pro TVA TVORVM que salute TE mo-
rabor, qui re potius aliisque documentis, quam verbis id
testificari studio. Sed quem priuatim saepius professus
sum, eundem publice nunc et coram omnibus declarare
gratissimum meum animum pro summis hucusque in me
collatis beneficiis cupio, eodemque nomine TE submissis pre-
cibus rogare audeo, vt qua haecenus me affecisti benevo-
lentia, eadem me et imposterum prosequi velis, qui in eo
maxime elaborabo, ne ea indignus vnguam videar.

SCRIPSI LIPSTIAE D. XXIX. MART.

MDCCLXXIII



DE
VALORE DONATIONVM INTER
PARENTES ET LIBEROS.



§. I.

Praefatio.

Quamvis nullum fere iuris imprimis Civilis argumentum inueniatur, in quo illustrando atque pertractando non alii iam desudarent, et quaedam iuris capita ita iam sint decantata atque a viris doctis elaborata, vt, qui de nouo ea aggredi vellet, oleum et operam plane perdiderit, omnes tamen materiae non ita exhaustae sunt, vt vltiorem perlustrationem prorsus recusent et nouam commentationem ferant omnino nullam, vt adeo non reprehendendus sit, qui ad tale argumentum accedit, in quo habuit antecessores quoque doctissimos atque celeberrimos. Quamobrem nec nos laborem plane superuacaneum suscepturnos esse putauimus, si legibus academicis satisfacturi, aliorum licet vestigia seuti, in arguento subsisteremus,

A 2

quod



quod nec iuuenilibus viribus impar, nec plane decantatum, aut ab hoc loco alienum, utilitatis quoque commendationem haberet. Elegimus quippe materiam *de valore donationum inter liberos et parentes*, quam, si A B E R T R A M O (in diff. de patre donatore) et C V T E L L O (in diff. de donat. inter patrem et filium) discesseris, a nemine ex instituto tractatam scimus. Ad illam quidem B E R T R A M I dissertationem, superiori seculo habitam, eos delegamus, qui diuisionibus et definitionibus delectantur, his enim lectores, iuxta istius seculi mores, ad naufragium usque instruuntur, vel potius encantur. T I T I V S (in diff. de contractibus patris et liberorum in potestate eius existentium) vero et alii, qui in genere de obligationibus et contractibus parentum et liberorum scripsere, pacis tantum et in transitu quasi hoc argumentum attigerunt, iura saltim patria et hodierna non sufficienter exposuerunt. Ut vero de ordine huius libelli constet, in eo quidem elaborando ita versabimur: Nihil monebimus de donationis definitione et peruulgatis diuisionibus, quod iis relinquimus, qui iuri's compendia in libellis suis verbotenus fere describere, et lectores superfluis ambagibus defatigare non erubescunt, ipsam principalem quaestionem de valore donationis inter parentes et liberos primo ex iure Naturae, deinde ex legibus ciuilibus, et denique ex iure patro illustrabimus.

§. II.

De valore donationum inter parentes et liberos secundum ius Nat.

Ex iure quidem Naturae, quod respuit omnia arbitraria figura, cum donatio species conventionis sit, manifestum est, quemlibet, qui pacisci facultatem habet, valide de rebus suis per donationem disponere et pro lubitu in alium ex liberalitate transferre atque translatum etiam acceptare.

Compe-

Competit vero haec pacisendi facultas omnibus, qui, usu rationis non desituti, iuste consentire possunt. Ideoque nihil impedit, quo minus donatio inter liberos et parentes eodem modo valida sit, quo inter exterros celebrata valet. Quod enim quidam obiciunt arctissimum vinculum parentes inter et liberos, merum figmentum est iuris Romani et ex iure Nat. plane exulat, siquidem finis patriae potestatis ad educationem potissimum liberorum eorumque utilitatem spectat, (v. PUFFENDORF I. N. et G. L. VI. C. II. §. 6.) Nam quilibet homo, eris vel maxime gaudet libertate naturali, ea tamen non statim agere potest, quae exigunt matrum et satis exercitatum iudicium. Quamobrem liberis usque eo consultum est, ut adsint, qui actiones eorum dirigant, bonaque eorum acquisita saltem administrent, parentes quippe, a quibus naturalis amor atque affectio tale officium exigit. Hic itaque nexus, qui impedire queat, quo minus eiusmodi pactum inter parentes et liberos ineatur, non video. Nec maiorem vim habet, quod vulgo hanc donationem inutilem propter ius per liberos acquirendi obuerunt. Tota enim haec res iure Nat. ex pacto nobis pendere videtur, quo deficiente, liberi quidquid acquirunt, sibi acquirunt, quod etiam GROTIUS affirmat de I. B. et P. Lib. II. C. 5. §. 2. n. 2. *Esse tamen (ait) eo tempore [scil. minoritate] filium aut filiam capacem dominii in res ex iure Gentium, sed exercitum impediri ob imperfectionem iudicii.* Quare (pergit) ut res omnes liberorum parentibus acquirantur, non naturale est, sed ex quorundam legibus, quae — natura ignorat. Ex his itaque, quae docuimus, apparere nobis videtur, iure Nat. omnem donationem validam esse, modo adsit viriusque verus et iustus consensus. Quae vero diximus de valore huiusmodi conuentiones de donatione inter viuos intelligi debet, cum donatio mortis caussa, ut quelibet dispositio de suc-

A 3

cessione



cessione, tanquam de rebus nullius, ideoque de obiecto impossibili, inutilis sit, dissentiente licet G R O T I O, qui, cum omnem mortis caussa dispositionem ex iuris Naturalis praecptis demonstrare studeat, in genere quoque donationes ilicas validas declarat.

§. III.

De valore donationis inter patrem et filium secundum leges Romanas.

Quemadmodum vero Ius Naturae omnia figmenta respuit, ita contra, hanc quaestione, si ex iure Romano consideramus, multis subtilitatibus atque tricis inuolutam inuenimus, quod nunc paullo diligentius perpendere conabimur. Ad mortis caussa donationem quod attinet, cum sit species ultimae voluntatis, nullum dubium est, quin patri licuerit hoc modo filio pro lubitu donare, quemadmodum etiam filiofamilias auctore Marciano *in l. 25. s. 1. D. de mortis caussa donat.* donandi facultas competit. De donatione vero inter viuos quaestio est altioris indaginis, cuius decisio potissimum pendet ab effectibus et natura potestatis, quam Romani patri in liberos concessisse scimus. De cuius prima origine, quamvis sibi non constare dicat DIONYSIUS HALIC. II. 27. vtrum ex iure scripto, an non scripto deriuanda sit, id tamen constat, iam a Romulo in legibus curiatis largissimam in liberos patri concessam potestatem et deinde a Decemviris in XII. tabulis confirmatam esse. Quod vero PAPINIANVS in Collat. legg. Mosaicarum et Romanar. lib. IV. eam deriuat ex lege regia, VLPIANVS vero *in lege 8. D. de his qui sui vel alieni iur. sunt.* moribus receptum esse dicat, facili negotio conciliari potest, cum inter omnes exploratum sit, ICtos Romanos ea, quae antiquissimis legibus scripta sunt, moribus vel a maioribus constituta saepius dixisse,

(de
enolino)



(de qua re vid. praeter I A C. G O T H O F R E D V M ad XII. tabb. p. 202. Interpret. ad Collat. legg. Mosaicar. T. IV. apud. S C H V L T I N G I V M pag. 749.) Tanta autem fuit haec potestas, ut serui melioris quoddammodo conditionis esse videantur, quam ipsi liberi, cum serui post primam statim manumissionem e dominica potestate exirent, liberi vero non nisi ter venditi et ter manumissi, a patria potestate liberarentur, ut adeo recte de Romulo dicat DIONYSIUS HALICARN. II. p. 97. μέγονα δὲς ἔχεστιν πατρὶ πατέρα παιδές, η δεσπότη πατέρα δέλε. Pro ea vero, qua gaudebat directione sacrorum priuatorum, domesticus quasi iudex ac magistratus sedebat patrifamilias, omnibusque, qui sacris suberant, ius dicebat. Nihil sibi, sed omnia patrifamilias acquirebant, ideoque nec liberi, nec serui proprii quid habere poterant. Cum deinde propter arctissimum nexus societatis familiaris familia vniuersitatem quandam constitueret, ideoque pater ac filius, et quotquot personae in familia illa erant, pro uno tantum haberentur; nemini mirum videatur, hoc ex principio, ut omne omnino pactum inualidum erat, ita etiam donationem inter liberos et parentes inutilem fuisse. Conueniunt quoque et leges Pandectarum et Codicis cum hac nostra sententia, nam P A V L V S ait in leg. I. §. I. D. pro donato. *Si pater filio, quem in potestate habet, donet, deinde decedat, filius pro donato non capiet usum, quoniam nulla donatio fuit.* Idemque confirmatur I. II. Cod. de donat. Cum de bonis tuis partem quidem penes te retinuisse, partem vero in eum, quem in potestate habes, donationis titulo contulisse commemores, non est incerti iuris, in eum, qui in sacris familiae tuae remanet, destinationem magis paternae voluntatis factam, quam perfectam donationem peruenisse. Cum enim nemo sibi donare queat, filio autem ac patri obstat vnitatis fictio, propterea quod omni effectu ciuili destituitur, imperfecta est talis donatio, nec prius, quam cessante im-

pedi-



pedimento fictionis, conualescere potest, ideoque **PAPINIANVS** ait in leg. 31. §. 2. D. de donat. *Pater, qui filiae, quam habuit in potestate, mancipia donavit, et peculium emancipatae non ademit, ex postfacto donationem videbatur perficisse;* siquidem hac demum emancipatione vnitatis figmentum tollitur. Cur vero **TITIVS** (vid. diss. supra cit.) hanc inter patrem et filium vnitatis fictionem propter obscuritatis notam reiicere audeat, non video, cum et ipse **IVSTINIANVS** in leg. II. Cod. de impub. et aliis substitut. doceat: *Natura etiam patrem et filium eandem esse personam pene intelligi, et eius vestigia vndique in iure Romano deprehendantur.* Nam ob hanc quoque causam actionem furti inter patrem et filium cessare statuit **PAVLVUS** in leg. 16. D. de furtis. *Ne cum filio familias pater furti agere posset, non iuris constitutio sed natura rei impedimento est, quod non magis cum his, quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsi agere possumus.* Eademque ex ratione stipulationem cum eo, qui eiusdem iuri subiectus est, inutilem in §. 6. *Inst. de inutilibus stipulat.* dici existimo. Quae omnia latius exposita leguntur apud **A. DAD. ALTESERRA** in libro, qui de fictionibus iuris prodidit Paifiis MDCLIX. Accedit, quod filius, antequam peculia introducta erant, nihil sibi, sed omnia patri acquireret, ideoque non haberet, quod in patrem per donationem transferre potuisset. Quapropter, cum et leges diserte tales donationes inter parentes et liberos inualidas declarent, et iuris analogia cum eo conueniat, iure quidem antiquo neque patrem filio, neque filium patri quidquam valide dare potuisse arbitror, quidquid etiam in contrarium disputationerit **CARPZOVIUS** L. VI. Resp. 118. n. 8. seqq.

§. IV.

E x c e p t i o n e s.
 Quod vero in regula diximus de inualidis istis donationibus, varias deinde tulit exceptiones. Quemadmodum enim

9

enim multis in aliis rebus verus atque nimis rigida iurisprudentia sensim sensimque mutata et restricta est, ita etiam in hac materia multae paulatim exceptiones admissae reperiuntur, quas singulas nunc recensebimus. Et iure quidem antiquo nulla alia exceptio locum mihi habuisse videretur, quam si donatio facta sit, vel soluta iam per emancipationem patria potestate, vel in ipso emancipationis actu. Talem enim donationem validam esse affirmat PAPINIANVS in leg. 28. D. de donat. *Hereditatem pater sibi reliquit filiae suae, sui iuris effectae donavit, et clarius adhuc in leg. 31. §. 2. eiusd. tit. Pater, qui filiae, quam habuit in potestate, mancipia donavit et peculium emancipatae non ademit, ex postfacto donationem videbatur persecisse.* Nec mirum. Cessat enim in emancipatis omnis ratio, fictio nimis unitatis personarum, cessat statim post emancipationem nexus ille inter patrem et filium atque adeo patria potestas per eam plane finitur. Solitos vero esse plerumque patres familias liberis emancipatis aliquid donare, veluti patrimonium quoddam, ut vitam tolerarent facilius, ex variis auctorum exemplis patet. Sic enim VLPIANVS in l. 3. §. 3. D. de administr. rer. ad ciu. pert. negat filium pro patre curatore cauere cogendum esse, etiam si pater ante illud officium perceptum in filium emancipatum partem bonorum donationis causa contulisset. Eodem modo iure quoque nouo IVSTINIANVS in l. 6. C. de emancipat. patriarchis permittit sine omni solennitate filii emancipatis peculium donare vel alias res liberalitatis titulo in eos transferre. SPARTIANVS denique de patre ait in Hadriano: *Filium dato patrimonio emancipauit.* Altera exceptio est in donatione propter fauorem militiae facta l. 1. C. de castren. pecul. *Peculio autem castrensi cedunt res mobiles, quae eunti in militiam a patre, vel a matre, aliisque propinquis, vel amicis donatae sunt.* Quemadmodum enim Iulii Caesaris, Augusti et Nervae im-

B

primis

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

primis temporibus plurima militibus priuilegia concessa sunt, ita iisdem sine dubio temporibus non solum donatio a patre filio in castra eunti facta valida habebatur, sed filius etiam in tali modo donatis patris familias iura nancisciebatur. Quae in mobilibus quidem dubio carent, de praediis vero donatis aliter dispositum est in l. 4. C. famil. ercise. *Si filius familias fuisti, et res mobiles, vel se monientes, quae castrensis peculii esse possunt, donatae tibi a patre sunt: eas quoque in caetero peculio castrensi non communes cum fratribus tuis habes.* Praedia autem, licet eunti tibi in castra filio pater donauerit, peculii tamen castrensi non sunt. Ideoque cum RE TESIO de peculio castrensi. Cap. II. statuimus, in praediis caeterisque immobilibus donantis specialiorem animum requiri, nec alter immobilia donata peculio castrensi annumerari potuisse, quoniam nimirum praedia non facile dantur ad necessitatem militiae. Huic affinis est donatio filio studiorum causa peregre agenti facta l. 50. D. famil. ercise. *Quae pater filio emancipato studiorum causa peregre agenti subministravit, si non credendi animo pater misisse, fuerit comprobatus, sed, pietate debita ductus, in rationem portionis, quae ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari aequitas non patitur.* Cum enim artium liberalium studiosi et aliis gaudeant priuilegiis, quae militibus sunt concessa, quid mirum, hoc quoque beneficio eos dignos in iure haberi? Validae porro erant donationes intuitu matrimonii liberis ac parentibus factae, vt auctor est PAPINIANVS in leg. 35. D. fam. ercise. ubi de Pomponio Philadelpho dicit, eum dotis causa prædia filiae, quam habebat in potestate, tradidisse, eique ius rerinendae possessionis competere. Cuius rei elegantem hanc rationem addit ANTON FABER ad Cod. L. 8. Def. 1. quod ea donatio ad publicam utilitatem pertineat, vt facilius ad nuptias contrahendas inuitarentur, qui alioquin cum filio

¶

filio aut filias familias contracturi non essent. Ultimam de-
nique, a regula superiori paragrapo tradita, exceptionem
offert donatio inter patrem et liberos per silentium et mor-
tem patris confirmata et, vel adhibita, si D. aureos exce-
dat, insinuatione, vel accedente per ultimam voluntatem
expresa confirmatione, quemadmodum constituit i u s t i-
N I A N V S in l. 25. C. de donat. inter vir. et vxor. *Donatio-*
nes, quas parentes in liberos cuiuscunque sexus in potestate sua
constitutos conferunt, vel uxor in suum maritum, vel maritus in
suam uxorem, vel alteruter eorum in aliam personam, cui, con-
stante matrimonio, donare non licet, vel aliae personae in eam,
cui donare non poterant: ita firmas esse per silentium donatoris
vel donatricis facimus, si usque ad quantitatem legitimam, vel
eam excedentes, actis fuerint insinuatae. Aliam vero atque a
Iustinianea decisione diuersam suppeditat P A V L U S in leg. I.
§. I. D. pro donat. vbi exprestè dicit: *Si pater filio, quem in*
potestate habet, donet, deinde decebat, filius pro donato non ca-
piet usq; quoniam nulla donatio fuit. Qua cum lege eriam
conueniunt Basilicorum verba: Τὸ δὲ δωρθέν μοι παρὰ τὴ πα-
τρὸς οὐδὲ τελευτῶντος, διὸ τῆς χρονίας νομῆς δεσπόζει. οὐδὲ
γάρ ἔργωται η δωρεά, (vid. M E E R M. Thes. Tom. I. p. 63.)
Quas leges quidem in concordiam redigere atque conciliare
conati sunt WISSEN BACH in Comm. ad Cod. h. t. et BA-
CHOVIVS in Not. ad Treutler. Vol. II. Disp. 19. Lit. E.
frustra tamen, vt nobis videtur. Etenim mutatum hac in
parte ius antiquum a Iustiniano et item sic componendam
esse putamus, vt tempore Pandectarum dicamus, sola morte
paterna donationem per se invalidam, non confirmatam
fuisse, nisi patrem in eadem voluntate perseverasse appareat,
quod probari posse videtur ex P A V L I Rec. Sent. V. II. 3.
*Pater, si filio familias aliquid donauerit, et in ea voluntate perse-
verans decesserit, morte patris donatio conualescit, et ex leg. 2.*



Cod. Gregor. de famili. ercisc. et communi diuidundo. Ideo enim praelegare solebant parentes liberis id, quod antea donauerant, ceu patet ex verbis PLINII, in Hist. Nat. L. XXXIII. C. 2. *Quinque librarum corona Piso Frugi filium ex priuata pecunia donauit, eamque coronam testamento ei praelegauit.* Iure vero Codicis constitutum fuit, vt sola mors paterna sufficeret ad confirmationem eiusmodi donationis. Itaque satius duximus, temporis ratione habita, haec loca contraria explicare, quam torta interpretatione ipsis legibus vim inferre. Nec placet HEINNECCIUS in Antiquitt. interpretationio, qui, vthunc PAULI ET IVSTINIANS dissensum tolleret, auctoritate legis 18. C. fam. ercisc. non tantum suffecisse putat iure antiquo, vt pater in ea voluntate perseuerans decessisset, sed nec rem donatam in filio prius potuisse vsucapi, quam eadem res familiae erciscundae iudicio fuisset adiudicata. Nam id potissimum quaeritur, vtrum filio eiusmodi res donata per iudicium familiae erciscundae tanquam praeципuum adiudicari potuerit? Addunt Doctores, donationem iuramento confirmatam. Ast, cum iuramenti talis natura sit, vt nouam obligationem producere nequeat, et multo minus negotium, iure inualidum, validum reddere possit, et iure ciuili negotio nihil addat, neque obligationem augeat vel extendat l. 16. C. de non numerat. pecun. nec priuilegia latius sint extendenda; haec exceptio merito tanquam spuria reiicienda nobis videtur.

§. V.

De valore donationis inter matrem et liberos.

Quae hactenus a nobis sunt disputata, ad donationes inter patrem tantum et liberos pertinent. Progrediamur nunc ad aliam huic affinem quaestionem de valore nimirum donationum inter matrem et liberos, in qua sic versabimur,

vt,



vt, si, quid iure antiquo ea in re valuerit, praemiserimus,
deinde quid iure nouo mutatum sit, despiciamus. Ad illud
igitur quod attinet, distinguendum nobis esse videtur, utrum
liberi adhuc sub patria potestate viuant, an ea iam per
mortem, aut emancipationem, aut alio modo soluta fuerit.
Hoc enim casu nullum dubium est, quin mater liberis et vi-
ce versa isti quoque matri valide donare potuerint, siquidem
omnis cessat ratio prohibendi, fictio unitatis personarum at-
que obiectio illa, quasi sibi ipsis donasse viderentur. A
quo enim momento liberi sui iuris facti sunt, quidquid ac-
quirunt, sibi acquirunt. Altero vero casu, si nempe liberi
aeque ac mater adhuc sub potestate patris et mariti viuant,
has donationes, si ab exceptionibus supra laudatis discesseris,
quoque inter matrem et liberos prohibitas fuisse putamus,
idque partim propterea, quia omnes in eadem familia exi-
stentes pro una persona habebantur, et sic fictio unitatis et-
iam horum donationibus obstabat, quod VLPIANVS af-
firmat in l. 3. §. 2. D. de donat. int. vir. et vxor. qui in eius-
dem potestate sunt, prohibentur sibi donare: Partim ne fraus fieri
possit legibus illis, quae donationes inter virum et vxorem
prohibent. Si enim mater liberis sub patria potestate valide
donasset, fieri potuisset, ut vxor per obliquum marito do-
nauerit, cum quidquid acquirunt liberi, patri acquirant.
Qua in re consentientem habemus VLPIANVM l. c. §. 4. Si
mater filio, qui in patris potestate esset, donet, nullius momenti
erit donatio, quia patri quaeritur. Postquam vero, introdu-
ctis iure recentiori peculiis, acquaestus per liberos valde re-
strictus atque imminutus est, haec etiam, quae hactenus de
donationibus inter matrem et liberos diximus, magnam sub-
ierunt mutationem. Constat enim inter omnes, ea, quae
ex liberalitate matris liberis obueniunt, referri ad peculum
aduentitium, cuius ordinarie ea est natura, ut, durante pa-
tria



tria potestate, proprietas penes filium sit, vſusfructus vero et administratio penes patrem remaneat. Quin IUSTINIANVS adeo in Nouellae Constitutionis CXVII. cap. I. pr. non solum matri (ad quam solam auctor Authent. Excipitur C. de bonis quae liberi: perperam eam restrinxit,) sed etiam extraneis permisit ea conditione donare liberis, ne pater vſumfructum habeat, sed vt statim pleno iure donatum liberi acquirant. Nihil itaque impedit, quo minus eiusmodi donationes iure recentiori valeant, cum filio unitatis ratione matris et liberorum cessauerit, sed etiam ius patrium circa aquaeflum per liberos valde restringit, cui accedit, quod ipse IUSTINIANVS in Nouella iam adducta eas expresse permittat. Obiter adhuc monere iuuar, donationem inter liberos et parentes antiquitus priuilegiatam fuisse et valuisse sine solemni mancipatione, ceu patet ex leg. 4. 1. 5. in fin. et l. 7. Cod. Theodos. de donationibus.

§. VI.

Donationum inter patrem et filium valor ex iure patrio.

Absolutis nunc iis, quae ius Romanum de donationibus inter parentes et liberos praecipit, iam ordo nos dicit ad iura patria. Quamuis vero Auctor Gloss. lat. sub Lit. F. Land-R. Lib. I. Artic. 31. et Lib. III. Art. 45. Lit. D. testetur, ius Romanum ratione patriae potestatis eiusque effectum manere a iure Saxonico incorrellum: *und bleiben in solcher Gewalt die Kinder bis sie von ihren Ältern scheiden, et cum eo conueniat Constitut. El. X. P. II. Weil in denen Saechischen Rechten nirgend zu befinden, daß die vaeterliche Gewalt insonderheit aufgehoben, so bleibt auch dieselbe nochmals nicht unbillig bestehen:* Fatendum tamen est cum BERGERO in Oeon. L. I. T. 3. th. 16. maxime circa patriam potestatem iuris Romani et Germanici placita esse commixta, vt adeo magis ad vſum et

et obseruantiam, quam ad legum verba sit respiciendum. Quorsum etiam pertinent verba Auctoris Consultatt. Saxon. P. I. Quaest. 43. *Ex quo igitur et illud omnino sequi, aut colligi videtur, non aliter scilicet de iure Saxonico liberos in potestate constitutos, cum auo vel patre contrahere posse, quam iure civili possunt.* I. 2. D. de contrah. empt. I. lis nulla C. de iud. I. frater a fratre, de conditione indebiti §. item inutilis Infl. de inutil. stipulat. Speculat. de procurat. §. sequitur, num. 4. Nec validari potest obligatio, etiamsi pater per alium tutorem vel curatorem rem filio constituit, quia peracque etiam tunc cum pupillo vel minore contrahitur, I. 2. I. in negotiis de reg. iur. Et proinde pater secum ipse contrahere videtur, d. §. item inutilis, propter fictionem unitatis, I. vlt. C. de impub. substitutionib. Quamquam fatemur has subtilitates in iudicando non ita attendi, et contra dictus parentum cum liberis, ex hac ratione non solere impugnari, aut inualidari, itaque utile esset, hac de re expressam fieri constitutionem. Nihilo tamen minus certum est, eum patriae potestatis esse, ex quo donationes inter parentes et liberos inualidae erant iure Saxonico, si verba legum species, esse receptum illasque in genere prohibitas esse. Sunt, qui putant prohibitionem hanc iure veteri Saxonico tantum de immobilibus accipiendam esse, mobilia vero valide donari potuisse, prouocantes propterea ad ius Provinciale Sax. Lib. I. art. 10. Sed partim contextus, partim verba ipsa citati articuli clare probant, ibi non de donatione rerum mobilium in genere sermonem esse, sed tantum de illis, quas pater filio, in militiam cuncti, donat. Commemorantur enim ibi Kleider, Ross, Pferd und Harnisch et adduntur verba: *Zu der Zeit als ers bedarf und nützen kann,* quae usum ad finem certum et destinatum denotant, plane autem superuacanea forent, si de rebus mobilibus in genere sermo esset. Totus deinde articulus agit de collatione bonorum et disponit, filium



filium post mortem patris non teneri res supra dictas ipsi a patre donatas conferre, sine dubio propterea, quia eas non in suam sed publicam utilitatem contulit. Conspirat itaque etiam hac in re ius Saxonicum cum Romano, quod, ut supra vidimus, donationes militiae causa factas quoque probat. BÉRGERVUS in Oec. Iur. L. II. T. 2. pariter in nostram sententiam ire videtur, cum in genere suadet, vt, quotiescumque pater filio familias donare vellet, toties filius a patre ad hunc actum emancipetur, quae saltim emancipatio in mobilibus superflua esset, si valuerit donatio eiusmodi ex articulo citato. Sed quemadmodum saepissime euenire solet, vt in foro maiorem habeant auctoritatem opiniones Doctorum, quam ipsa legum verba, sic etiam per usum et obseruantiam in foro Saxonico tales donationes rerum mobilium, filio etiam non emancipato factae vel per extensio nem vel malam interpretationem artic. 10. valuerunt, teste CARPOZOVIO Definit. P. II. Const. XII. donec tandem haec fori obseruantia per expressam legem, nempe Decisionem nouissimam XIV. de anno 1746. confirmata, resque ita definita est: *Ein Contract, welchen ein Vater mit seinen Kindern, so ihre Mündigkeit erlanget, geschlossen, ist um deswille, dass er solche nicht vorhero emancipiret, vor ungültig keines weges zu halten. Mit unmündigen Kindern aber mögen Aeltern anderer Gestalt nicht, als wenn sie ihnen hierzu absonderliche Vormünder bestellen lassen, verbindlich contrahiren. Gestalt auch wieder einen mit Consens des hierzu verordneten Vormunds errichteten Contract, wenn solcher nicht praevia caussa cognitione ex decreto iudicis geschlossen worden, denen Kindern gleichwohl auch vier Jahre nach erlangter Majorenität das beneficium restitutionis in integrum zuführet.* Prima igitur huius Decisionis parte, quae potissimum ad conuentiones inter maiores liberos et patrem pertinet, omnis contractus sine expressa emancipatione factus



factus validus declaratur, quippe cum iam in ipso actu contrahendi talis voluntas emancipandi praesumatur. Secunda parte, quae de minoribus liberis disponit, parentibus quidem cum hisce liberis, sub conditionibus tamen in Decisione adiecit, et saluo beneficio restitutionis in integrum contrahere et pacisci permisum est. Ideoque, quae antea ex iuris Civilis dispositione et obseruantia requirebatur expressa emancipatio, nunc quidem, abrogatis omnibus superfluis ambagibus, remissa est, vel propterea, quod, cum finem pater voluerit, acquisitionem nimirum liberorum rei donatae, in medium quoque consensisse praesumatur, vel, quod omnis fictio unitatis personae a Romanorum ingenio profecta, prorsus cefare debeat. Licet ergo superfluae subtilitates remissae sint hac sanctione, ea tamen quibus liberorum fauori imprimis consulitur, non abrogata sed denuo iussa et repetita sunt, ut scilicet, cum facile minorennes contractibus eiusmodi laedi possunt, caussae cognitio decretum, iudicis et tutorum auctoritas in istis negotiis adhibeatur. Quod vero in genere de contractibus in hac Decisione disponitur, eo minus dubitamus ad donationes inter parentes et liberos applicare, quod subtile illud a Romanis excogitatum discrimen pactorum et contractuum hodie exulat.

§. VII.

De valore donationis inter parentem et liberos minores ex legibus Saxoniciis.

Ex hac itaque Decisione, quam, licet ea tantum de contractibus disponat, ad donationem quoque extendendam esse diximus, facili negotio intelligitur, donationem inter parentem et filium maiorenem vel vice versa celebratam sine omni exceptione vtrinque validam esse. Quod autem ad filios adhuc minores attinet, distinguendum est, vtrum pater

C

filio,



filio an filius patri donauerit. Priori quidem casu nemo dubitabit, quin valeat eiusmodi donatio. Altera autem dura prima fronte quaestio esse videtur, cum magna ad sit rationis diversitas. Nam priori casu, auctis per liberalitatem paternam bonis, melior redditus minoris conditio, posteriore vero minuto per donationem ipsius patrimonio, deterior. Enim uero minor sine summa necessitate et decreto magistratus alienare nequit, vt patet ex leg. 22. Cod. de administrat. tut. qua curatori adeo et tutori prohibita est istorum bonorum alienatio, multo magis ergo minori, conf. l. vlt. C. si maior fact. alienat. fact. In genere vero omnes minorum contractus, ex quibus incommodum sentiunt, inualidi sunt semperque beneficium restitutionis in integrum in legibus eis indulgetur, adeo, vt nec auctoritas curatoris impedire queat, quo minus eis succurratur, l. 2. C. si tutor vel curat. interuent. Quae lex Decisione quoque nouissima XIV. confirmatur. Ex donatione autem, tantum abest, vt commodum quis sentiat, vt potius perdere dicatur is qui donat in l. 7. D. de donat. His itaque ex causis omnis minorum in parentes collata donatio inualida censenda est, nec decretum iudicis, nec specialeter ad hunc actum constitutus curator aliquid efficere potest, adeo, vt, si instrumento etiam confirmatus sit talis actus, minor, actione ex eo instituta, ad recognitionem non teneatur. Idque in Saxonia eo minus dubio subiectum est, cum peculiariis ea de re extet Decisio, quae est in antiquioribus vi gesima tertia, vbi expresse constitutum est: *So lassen Wir uns unserer verordneten Meynung diesfalls gefallen, dass dergleichen Donation, wenn sie gleich mit der Obrigkeit Decret ratificiret, auch ein Curator ad hunc actum bestatiget würde, zu Recht unkräftig etc.* Huic tamen generali de inualida donatione filii minoris in parentem collata dispositioni statim exceptio in eadem Decisione XXIII. adnexa est, nisi filius maior factus eam expresse



expresse ratihabere velit: *Es würde denn dieselbe von dem Sohne oder Tochter nach ereugnetem vollkommenen Alter wiederholet, oder ratificiret, auf solchen Fall soll sie dann vor beständig gehalten und erkennet werden.* Tacita vero eiusmodi ratihabitio argumento Decisionis nouissimae XIV. praesumitur, si donatio intra quadriennium ab acquisita maiorenitate non reuocata fuerit.

§. VIII.

De valore donationum inter matrem et liberos ex iure hodierno.

Quod de patre diximus, idem eriam iure Saxonico ad matrem applicari posse censemus, cum idem fere hodie sit nexus inter utrumque parentem et liberos. Quaeritur tamen, an curatoris consensu in tali donatione a matre facta opus sit? Generaliter enim constitutum est, mulierem non aliter contrahere, vel alienare, vel quidquam in iudicio agere posse, nisi id fiat curatoris interuentu per textum Const. Elect. XV. P. II. Gleicher gestalt soll auch denen Weibs-Personen dasjenige, was sie ohne Vorwissen und Autorität ihrer ethlichen und anderer verordneten Vormünden, in und außerhalb Gerichts, schließen und handeln, damit sie sich gegen jemand verpflichten, unschädlich und un nachtheilig seyn. Ratio manifesta est, ne quippe, inopia consilii circumventae mulieres laedantur. Minori autem aequiparatur fere mulier iure Saxonico, teste Autore Consultatt. Saxon. P. I. quaeft. 42. DAN. MOLLER. ad Const. Elect. 15. P. II. n. 99. et utrique ob imperitiam vel imbecillitatem non immrito leges subueniunt. 1. I. §. 5. de Edendo 1. 2. §. 2. D. ad SCtum Velleianum MAEVIVS Part. I. Decif. 218. n. 3. et seq. Sed in hac nostra materia haec res aliter se habere videtur, partim, quia Constitutio laudata liberam mulieri circa mobilia concedit dispositionem per verba: *Wie denn auch denen Wittwen und Jungfrauen, so mündig, (ausgeschlossen die unbeweglichen Güter) mit ihrer fahrenden Haabe zu thun, dieselbige,*



so weit die Rechte nachlassen, zu vergeben — unbenommen seyn soll; partim, quia rationes supra allatae cessant. Si enim filia maiorenxis patri aliquid donat, cessat ratio propter confidentiam summam, quam lex habet de patre. l. 28. §. 3. D. de liberat. legat. Eodem modo, si mater liberis donat, id non ex imbecillitate sexus, sed potius ex pietate et materna affectione fecisse censetur, et valet, nullo licet adhibito curatore. Quod non tantum affirmarunt CARPOVIVS Part. II. Const. 15. Def. 8. et WERNHERVS Sel. Obs. foren. P. I. Obs. 161. sed et praeiudiciis illustrarunt ac comprobarunt. Quin CARPOVIVS adeo loco cit. ex his concludit, mulieres sine curatoris consensu immobilia etiam, si velint, liberis donare posse, quia ex pietate tales donationes factae praesumenda essent, licet de hoc casu leges nihil disponant.

§. VIII.

Conclusio.

Haec sunt illa, quae de donationibus validis inter parentes ac liberos in praesenti, festinante labore, colligere libuit, non quidem eo consilio, ut magnam nobis exinde famam paratum iri, putaremus, sed ut saltim pateret, praceptorum disciplina nos haud plane indignos fuisse. Itaque speramus etiam, fore, ut, quae ab eruditis tribui solet iuuenili labori, venia, nec hunc libellum, tenuem licet atque exiguum, prorsus deficiat.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
A V C T O R I

S. P. D.

P R A E S E S

Quem mihi perlustrandum exhibuisti elegantem de validis in-
ter parentes ac liberos donationibus libellum, talem **TIBI**
reddo, qualam abs **TE** acceperam, nulla littera distinctum. Neque, si
per negotiorum multitudinem addere, vel demere aliquid licuisset,
multa mutassent, cum ex hoc publico specimine alios de **TE** **TVIS-**
que studiis iudicare volueris, et quod putarem, **TE** pro insigni
TVA doctrina et studii abundantia, quam ex priuatis sermonibus
perspicere mihi licuit, ea, quae scripsisti, fortiter quoque esse de-
fensurum. Facile et ex utriusque oratione, et ex hac mea liberali
professione, quod, tametsi in plerisque **TIBI** assentiar, in leuio-
ribus tamen nonnullis non omnino inter nos conuenire, haud in-
ficior, lectores iudicabunt, quam ne minima quidem **TVI** libelli

pars

*pars ad me pertineat. Non exiguae vero laetandi causam mihis
praebuiſti, qui me in societatem venire volueris talis defensionis libelli,
qui ſi non aliam haberet, ab eo certe uberrimam commendationem dicit,
quod argumentum contineat utilissimum, in quo praeterea euincere potuifli,
TE non in una quadam Iurisprudentiae parte
ſubſtituſſe, ſed variaſ potius excoluſſe. Gratulor igitur TIBI hos
profectus TVOS, editumque hoc eruditionis ſpecimen, nec dubium
eſt, quia nulla unquam virtus, diu quin inclaret et afficiatur
praemio, latere potheſt, laudabiles TVOS conatus diligentiamque
TVAM eos adiuturos eſſe, quorum in arbitrio poſitum eſt, virtu-
tē et induſtriam condecorare praemias. Exi igitur feliciter ex
haec academia ad praemia iſta virtutibus TVIS atque indefeffa in-
duſtria dignissima colligenda, equidem diſceſſum TVVM minus do-
leo, quoniam de TVA in me amicitia nullus dubito, fore, ut et
abfens eodem amore me prosequaris, quem me hacienus expertum
eſſe gratulor. Vale.*

Scripsi Lipsiae d. xxx. Mart. CICIOCLXXIII.



ULB Halle

004 758 501

3



56



6.
DE
VALORE DONATIONVM
INTER PARENTES
ET LIBEROS

SCRIPSIT

ET

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

CHRISTIANO GOTTLLOB
E I N E R T O

IVRISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE
DOCTORE

H. L. Q. C.

D. XXXI. MART. CICICCLXXIII.

D I S P V T A B I T

CAROLVS BENIAMIN DIENEMANN

S C H O E M B.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

